

tum non imputatur. *Vetus enim & vulgata versio legit expressim, Imputabatur. Et verisimiliter oportuit veteres Græcos codices ita conceptos fuisse. Ἀμαρτία ἢ ὄντι ἐδοχεῖτο μὴ ὄντι νόμος. Incuria verò Notariorum, qui primum pedem literæ μ, adverbii μὴ, continuâ serie scripserant cum verbo ἐδοχεῖτο: reliquum verò litteræ ejusdem μ, longiuscule, & disjunctum à primo pede: accidisse ut ἐδοχεῖτοι primum corruptius, deinde ἐδοχεῖτω repositum fuerit: quamvis verè scribendum fuisset ἐδοχεῖτο: quod postulat brevior & genuina magis hujus loci sententia.*

*Vtrumque certè ut idem significans, potuit legi impunè; & utrumque semper erit hoc loco subaudiendum, sive ἐδοχεῖτω sive ἐδοχεῖτοι scribatur. Posito unum alterum consequetur. Scribatur enim primò, Imputatur. Positâ hac præmissâ: Peccatum non imputatur non existente lege: elicienda semper erit hæc conclusio: Ergo antè legem, vel usque ad legem, peccatum non imputabatur. Scribatur rursus, Imputabatur: ut fiat hic sensus: Antè legem, vel usque ad legem, peccatum erat in mundo: sed peccatum tunc temporis non imputabatur. Ratio erit subaudienda, quam suppressit Apostolus, orator elegans: Quia peccatum non imputatur non existente lege. Verius ergò, ut brevius & elegantius, legendum est hoc loco, Imputabatur, non Imputatur.*

## CAPUT XI.

*Analysis versus decimi quarti. De regno mortis ab Adamo usque ad Mosem. Mosem hic sumi pro lege data Mofi.*

**A**DDIT *Apostolus verso decimo quarto. Sed regnavit mors ab Adamo, usque ad Mosem.*

*Regna-*